

non verò de mutatione per accidens. Alii hoc aliter proponunt. *Johan. Sanchez loco supra citato* distinguit inter mutationem physicam & metaphysicam. Physicam vocat illam, quæ fit per motum seu mutationem physicam: metaphysicam verò quæ terminatur ad productionem alicujus rei quæcunque illa sit. Relationem subjecto per mutationem Metaphysicam non verò per mutationem physicam advenire statuit. Addit, mutationem physicam secundariò etiam ad relationem terminari. *Did. Mafius loc. alleg. ad I. cum Ferrar. IV. contra gent.* respondet duplicem esse mutationem, unam physicam & naturalem, quæ fit per verum motum & expulsionem contrariæ qualitatis, ut est calefactio vel dealbatio; & alteram Metaphoricam, quæ non fit per verum motum aut per expulsionem contrarii, sed per simplicem quandam emanationem & resultantiam naturalem. Hisce præmissis dicit Aristot. l. c. docere ad relationem non esse per se motum, sc. Physicum. Existimat autè Mafius relationem advenire subjecto per mutationem metaphoricam, quia relatio naturaliter à fundamento posito termino in rerum naturâ resultat. Deinde aliam responsionem, quam tribuit *Durando in I. sentent. dist. 10. q. 2.* subjungit, & dicit relationem posse alicui advenire sine mutatione absoluta; non autem sine mutatione relativa, cum subjectum, quòd de novo recipit relationem, mutetur relativè.

§. VII. Verùm quocunque modo distinctionem illam inter mutationes hæc explicent; nihil tamen obtinere poterunt. Aut enim per mutationem illam, quam mutationem per accidens, metaphysicam & metaphoricam vocant, intelligunt veram & propriam mutationem: aut intelligunt improprie dictam, seu talem mutationem, quæ revera nulla est: Si hoc, manet, quòd relatio per nullam mutationem subjecto adveniat. Sin illud, sequitur, quòd subjectum illud, cui relatio advenit, acquirat novum aliquod esse, siquidem propter accessionem relationis nulla mutatio, quæcunque etiam sit, si modò vera sit mutatio, in subjecto fieri potest, nisi etiam nova adveniat entitas, aut privatio alicujus entitatis propter quam subjectum mutari dicatur. Quâ ratione verò jam probabitur, album hîc existens quòd sit simile albo, quòd sit Romæ, acquirere aliquod novum esse per illud album quòd fit

fit